



MACCHELLUS 1555 VESALIUS 1544










ANDREAE VVESALII BRVXELLENSIS, SCHOLAE MEDICORVM Patauinę professoris publici, EPISTOLA, DOCENS

venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali secandam: & melancholicum succum ex venæ portæ ramis ad sedem pertinentibus, purgari.

IN LABORE



APVD COMINVM DE TRIDINO
MONTISFERRATI, ANNO
M. D. XXXXIIII.

EPISTOLA AD CANDIDVM LECTOREM.

Explorata salus miseris mortalibus adsum,
Rapta licet plagio, vel fugitiua ferar,
Scilicet inuidiæ primùm deterruit atrox
Tempestas, quid enim non premere illa solet?
At domino tandem nolente repagula rupi,
Nolente inuidia, publica facta legar.
Tu modo frugiferũ Philomuse capesse laborẽ,
Conatusq; hilari suscipe fronte pios.
Crescentes vegeta, at penitus ne despice vires,
Post tenues orsus quæ meliora dabunt.

ORNATISSIMO

CLARISSIMO'QVE VIRO NI-

colao Florenati, Inuictiſſimi Caroli Ceſaris Medico peritiſſimo, Domino ſuo plurimum colendo, Andreas Vveſalius Bruxellenſis. S.D.



DVOBVS nominibus, Patrone in primis obſeruande, ſuperiores tuæ literæ, plurimū me recrearunt: tum quòd tabulas ī ſtudioſorū vſum à me ęditas, Cæſareę Maieſtati cęteriſq; p̄ſtantiſſimis viris, vnicè ꝓbari ſignificas: tum quia ꝑgratum tibi fore polliceris, ſi lineas ad marginē venæ cauæ de vena in laterali dolore ſecāda, & ad finē lateris venę portę, de melancholici ſucci ꝑ hæmorrhoides purgatione aſſcriptas, diffuſius explicare contendā. A pleriſq; enim qd in illis ſentiam, parū perpendi arbitraris, remq; cenſes dignam quæ fuſiori oratione explicata rationumq; p̄ſidio firmata, ſtudioſis legenda exhibeatur. Neſcio ſanè, vtrū ex animi ſentētia magis, an iucūdius in vita obtingere quicquā poterat, quā illud à me expeti, quo erga te gratior aliquādo videri poſſem: idq; propterea, quòd tu vnus ex

omnib.semp extitisti, cui non solum q̄cunq; in me vel eruditionis, vel cuiusuis alterius accessionis argumenta extant, accepta ferre debeam, verumetiã quòd ea est tuorũ erga me meritorum magnitudo, vt si quis accepti expensiq; inter nos ratione pressius cuncta animaduertẽs inire velit, meum è diario tuo nomen haud facilè expunctũ iri aliquando existimet, ac parẽtis potius quàm amici loco ducendum te mihi censere queat. At rursus excrucior, id mihi à te oneris potissimũ iniungi, cui neutiquam par esse possim: aut si fortè p ingenij vires possim, nunc ea certè impendẽt tempora, vt hoc q̄cquid est, tacitus apud me p̄mere, quàm publicè (quod hodie plurimis vsu venit) aliorũ conuicijs me nouis paradoxis exponere pręoptarim. Nosti nãq; quàm apertis verborũ dissidijs, inflãmato studio, & cõtentionum machinis eruditissimi quiq;, de vena in laterali dolore incidẽda inter se digladiẽt. adeò vt pauci alicuius nominis medici reperiantur, qui hac de re qualecunq; sui ingenij specimen edere nõ sint aggressi, atrocissimas in se aduersariorũ criminationes grauissimasq; inuidię tempestates concitãtes. Vt interim p̄teream rabulas istos noua omnia respuentes, qui quum semel imbibitam hęre-

sim tueri student, maximis iniurijs contume
lijsq; illos lacessunt, qui e directo lateris affe-
cti venā secandā arbitrantur. Nondum opi-
nor animo tuo excidisse, quod iampridē de
Louaniensib. medicis scripsi, inter quos quē-
dam suo iudicio probè doctum, & nescio ob
quas diuitias mire sibi placentē, Manardum,
Fuschium, Curtium & Brisottū medicorum
Lutheranos in frequētissimo eruditissimorū
virorum consessu appellare nō puduit: quòd
illorū autoritate in publicis disputationibus
fretus, cōtra ipsius de vena secāda placitum,
acrius fortè instarē. Existimabat quidem vir
pius, pristinam Hippocratis medendi ratio-
nē, à vetere inscitia barbarieq; summis cona-
tibus, ac subinde non mediocri familiaris rei
dispendio, vindicantes, tāquā medicinæ Lu-
theranos, alijs atq; alijs iniurię plenis nomini
bus irridendos: quippe qui cū sapere sibi so-
li videretur, insolito animi fastu turgidus, reli
quos prę se aspernari, quumq; aliud verè non
posset, hęresim nescio quam alijs obijcere so-
let. deinde ne nos quoq; Candidati, eiusmodi
pestifera tabe inficeremur, consuetis suis, hoc
est, barbaris, ac ex vulgi fæce cōquisitis voci-
bus vtēdum esse, impudentissimè occlamare
consueuit. Sed quid is, atque non dissimiles

grylli obgruniãt, flocci (vt ſubinde hortatus es) pendo. Quid vero elegãtisſimus doctisſimorum Pariſienſium medicorum cœtus, pręceptorũ meorũ, qd Manardi ac Briſotti manes, quid Fuſchius, Curtius, Hubertus Barlandus, viri noſtra ætate celeberrimi obijcerent, grauiter mihi perpendendum duco. qui tantis ſudoribus & indefeſſis ſtudijs, veram Hippocratis & Galeni de vena in pleuritide ſecãda ſententiã tueri, & à profundiſſimis tenebris in lucẽ reuocare iam diu ſtudent: pręter alios Europę peritisſimos viros, vno ore in illorũ ſententiã deſcendentes. Malè profectò mihi conſultũ optarem, ſi illorum criminationibus me darem, quos tanquã numina & deos quoſdã colendos eſſe ſemper iudicaui. Nam ſi Icari more, pennis parum fixis, velut in artis operibus rebusq; tractãdis modicè verſatus, nouũ de vena in laterali morbo incidenda, dogma inuehere, hinc quidam ſycophantiarum aculeos intẽtarent, illinc alij, nulla rei habita ratione ilico maledicẽdi ſtudio nati, viruleto linguę ſpiculo me confoderent. Quę licet contemnẽda videantur, animumq; ingenuũ à pręclaro inſtituto reuocare neutiquam debeant, incõmodaturum tamẽ illis me ſcio, qui magnis lucubrationibus

congesta hac de re volumina, adhuc in mani bus seruant, nonumq; (vt Flaccus hortatur) premunt in annum. His enim aut in me cõfutando nouum facesserem negocium: aut si fortè in meã descenderent sententiã, iam operã oleumq; lusissent. Memini iampridẽ Barlãdi iustũ volumen in Louaniens. modicos. me legisse, quod Ioanni Guinterio viro eruditissimo literatissimoq; cõmunicatũ ab ipso autore erat. Verum id ob denegatã typographorũ operam (quemadmodum in posteriori aduersus Fuschiũ raræ eruditionis virum apologia, Brachelius falso iocatur) hactenus minimè latuisse mihi persuadeo, presertim quũ autographũ ipsum exemplar Parisinos typographos obnixè summòq; studio expetiuisse cognorim. Proximus huic est Curtius, acerrimi iudicij vir, quẽ diu promissum commentarium de secanda in internis inflãmationibus vena, editurum non ignoramus. Ostẽdit enim mihi ante menses aliquot, cum partim ipsius causa, partim animi recreandi gratia Bononiam concessissem, ipsumq; prolixè ac familiariter conuenissem, tres eius commentarij impressos codices. Cur verò hactenus reliqui non fuerint subsecuti, vehemẽter demiror. Hęc mihi crede, quominus, quod tã

topere suades aggredior, nõ immerito me grauiter absterrẽt, atq; intra septa cõtinent. Cæterũ ne vel omnino tã honestę afflagitationi deesse diutius, vel tua in me beneficia parum agnoscere videar, nactus nũc à publicis prælectionibus nõ nihil ocij quàm libẽtissimè ad te priuatim, quid hac de re sentiã, diffusius quidẽ (sed cursim & tumultuariè) per scribã: donec per ætatem aliquãdo, rerumq; vsum, publico certamini me cõmittere sustinebo. quãuis alioqui res sit ferè eiusmodi, vt quæ nec prolixa tractatione, neque varijs demõstrationibus indigeat: sed quę ex aliorum prĩcipijs, diligẽtissimaq; anatomes inspectione præcipuè dependeat. Ne igitur longius te morer, duplicem tibi perspectã scio de secanda in dolore laterali vena opinionẽ. Prioris quidẽ autores, è directo lateris affecti, venã interiorẽ cubiti secandam autumant, siue reuulsionem, siue deriuationẽ moliri oporteat. Quamuis & hi nonnihil inter se dissideant: Alij enim in vna vena et reuulsionẽ simul et deriuationẽ faciendam esse contendunt, aliter facturi, si ęgrotãtis vires duas illas euacuationes simul nõ admitterẽt: tunc enim poplitis, aut malleoli è directo affecti lateris venã, ad reuulsionẽ diuiderent. deinde ad deriua-

tionē accedentes postridie, aut maiori minoriùe interuallo pro ægrotantis robore interposito, eam celebrarent, venā cubiti è directo patientis lateris intrepidè diuidentes. Alij verò huius sententiæ principes, siquidem ob virium imbecillitatē, reuulsionē duntaxat ægrum ferre arbitrentur, etiam venā affecti lateris solū reuulsuri secabunt, ac deinceps post tēporis interuallum ex eadem vena deriuationē molientur. De illo interim virium robore intelligas velim, quod aliquā sanguinis ex vena eductionem suffert. Alterius autē sectæ principes, ab his planè dissentiūt, ac vnà cum Arabū sententia Hippocratis & Galeni placitum sese tueri arbitrati, corporis plenitudinē & generationis morborum tempora distinguūt, quod si plenitudine laborare, aut sanguinem in partem ægrā adhuc fluere, certis indicijs suspicentur, reuulsuri, ad longissimè distātia auocandum sanguinem suadent atq; ex opposito lateris affecti, venā axillarē, in cubito, aut venulā inter minimū ac sequentem digitos procurrentē secāt. Quanquam & inter hos peritiores inuenias, qui tunc primū ex poplite, aut malleolo interiori affecti lateris sanguinem educāt. Celebrata itaq; ad hunc modum ab ipsis reuulsione, intermissis

ſępe diebus pluribus, ad deriuationẽ properant, qua ſanguinẽ parti affectæ inhærentẽ, ac(vt ipſi loquuntur)in partem fluxũ, ſe euacuaturos exiſtimant, diuiduntq; venã cubiti è directo lateris affecti. Si verò hi inter mali initia, corpus ſanguine minimè turgidũ, nullũq; humorem adhuc fluere (quod vix poſſibile arbitror) collegerint, etiam & tunc, primùm venam interiorem cubiti, è directo afflicti lateris, incident: licet eorum pleriq;, nõ leui errore extremæ manus venas frequentius, q̃ cubiti, aperiendas pręſcribant. Porro quibus rationibus, ſinguli ſuum dogma, varijs atque hinc inde diſtortis autorum ſuffragijs ſuffulciant ac tueantur, tibi perſcribere ridiculũ planè foret, atq; vt in prouerbio eſt κλαυκας εις αθηνας, qui in hac palæſtra, quemadmodũ in vniuerſa Græcorum & Arabũ medicina, ad miraculum vſq; promoueris. Veniam tamẽ poſtulo, ſi vt meam ſententiã perſequar, certiſſimiſq; rationibus eam confirmẽ, nonnulla ab vtriſq; pręcipue agitata in mediũ adduxero. Ante omnia itaq; in dolore laterali mittendũ eſſe ſanguinem, vtriuſq; ſectæ primores fatẽtur: nec parũ intereſſe, hãc ne an illam in morbis venam incideris, excellẽtiſſimorum medicorum ſuffragijs affirmãt. Dein triplicẽ ſan-

guinis euacuationem ex Galeno quoque sta tuunt, duas quidē sub auersionis nomine cō-prehensas. Priorem ad longinqua & contraria fieri aiunt, quam reuulsionē Latini, Græci vero ἀντίσπασιν appellant: hac sanguinē aliquò fluentem fluxurumue, in cōtrarium retrahūt euacuantq;. Alteram auersionis speciem, deri uationē & παροχέτευσιν vocant, qua sanguis ex phlegmone obsessa particula, per partē propinquiorem sanam educitur. Tertiā euacuationem, ex ipsamet parte implicita assignant, quæ minimè ad cōtraria perficitur. Fit vero hęc, dū scalpello inflāmationū quasdam differentias etiā inter initia incidimus, quę gangrenæ, phagedenæ, aut carbunculi naturam referunt. Ex illis namq; sanguinē sacrificata patiente particula sępe extrahimus, addentes q-dem aliquando præter partis sectionē hirudines, cucurbitulas, aut earū vice cornua cum igne, ne sanguis scilicet in parte coaceruatus, membrique naturam debilitans atq; euincēs, grauissima symptomata inducat: aut si quādo maiorē ad partē affectā in pestiferis bubonibus fluxū desideramus. Porrò duntaxat de duobus prioribus euacuationis speciebus in proposita disceptatione medici pertractant, quum nemo inter morbi initia, affectū latus,

vt in ſuppuratis diuiſerit. Intelligo autē hoc loco per euacuationem, ſenſibilem ſanguinis eductionem: non, quæ leuibus cucurbitulis, aſperiori frictione, dolorificis vinculis, partis in aquam calidam merſiōe, aut calidis empla ſtris, aut vnctionibus fit, reuulſionem, vel de-riuationem. Reuulſionem præterea ad lōginqua peragendam, vtraq; profitetur turba: ve-rum ſecundi agminis primipili ſimpliciter ad maximè lōginqua & diſtantia, ex Galeno in lib. xiij. Curatiuę methodi, & Hippocratis lo-co in libro de Humana natura, & Galeni in Arte medicinali, longinquum in reuulſionis definitione intelligendum eſſe, aduerſarijs ꝑ-ſuadere ſtudent. Quod tamen hi ipſi haud-quaq̄ admittunt, cum Galenus in xiij. Methodi eodem loco in incipiente iecoris inflammatione, dextri cubiti interiorem venam, non q̄-dem poplitis aut malleoli, aut etiam ſiniſtri cubiti ſecandam venam ſubiunxerit. Inſuper Hippocratis eam libri partem eſſe, cum Galeno inficiantur, & in Arte medicinali Galenū de preſeruatione, non autem morbo, aut cu-ratiua artis parte locutum affirmant. Vnde eorum quidam contendunt, tantam ad reuulſionem ſufficere contrarietatem, quantam ſat eſſe indicauit Hippocrates in vulgari illo li-

bri quinti aphoriſmo. Dolenti partem capitis „
poſteriorem, in frõte recta inciſa vena ꝓdeſt. „
Vbi Hippocratem de reuulſione locutũ Ga- „
leni teſtimonio aſſerũt, ſuoſq; aduerſarios tã-
quam ſtolidos demirant͂, qui ad commodum
reuulſionis locum, tantam diſtantiam requiri
ex Auicenna contendunt, quanta humeri ab
humero eſt. Vnde inferũt, ſectionem venæ in
pleuritide cubiti phlegmonem patientis late
ris, à reuulſionis ratione nequaquam cadere.
Quanquã & hi prioris opinionis principes,
occaſione poſtulãte, in preſeruatiua artis par
te, externiſue inflammationibus, ad maximè
diſtantia (ex vena tamẽ inſigniori) ſanguinẽ
particulę ægre influentem fluxurumq;, etiam
retraherent. De ſecunda verò euacuatiõs dif-
ferentia, parum inter ſe diſcrepant. nam vtriq;
ex parte membro laboranti ꝓpinqua et ſana,
auertendum ſanguinem in deriuatione opi-
nantur. Propter priorem verò de reuulſione
controuerſiam, alia inter illos agitatur propo
ſitio: videlicet, Num reuulſio & deriuatio ea-
dem ſecta vena, interdum ſimul celebrari poſ
ſint. Primi, vt antea quoq; admonui, tanquã
omnium ſuffragijs abunde comprobatum, id
fieri poſſe affirmant, dummodò fluens fluxu-
ruſq; ſanguis reuellendo educatur, ac in parte

lęsa collectus, deriuando euacuetur. ac ob id in laterali morbo tanquã acuto & statim perimente, apta quidem ad hęc habita vena, pcipuè id faciendũ luculentissimè pbant. Alij contrarium asserunt, rationes suas adducentes, ac si lateralis morbi futuri sola suspicio habenda foret, vel quędam cruris, aut manus leuis inflammatio acutus ille morbus existeret. Videmus namq; quosdam ex secundę sectæ principibus, adeò suis rationibus irretitos, vt tres venæ sectiones in laterali morbo facere non vereant. primum pedis venam, q è directo est, secundò oppositi cubiti, ac demum cubiti è directo patiẽtis lateris secãtes. Quaquã in pręsenti cõtẽtione præter alios complures Manardum aliàs diligentẽ, nec minus argutum, mirari satis nequeam, qui duas de secanda in pleuritide epistolas, non quidem pfunctorie scriptas, satisq; etiam grauiter ab ipso autore probatas, posteris reliquerit: deinde Fuchsium in extirpandis medicorum erroribus sedulum studiosissimumq;, qui iam quartò aut quintò de secãda in laterali morbo uena, suę singularis eruditionis specimẽ proposuit: atq; ea quæ nunc dicã, ex Manardo trãssumpsit. Nimirũ in venæ interioris cubiti directa sectione, nõ posse in internarũ partium

inflammationibus, reuulsionem ac deriuatio nem vllo modo simul incidere, ac nequaquã eam venę sectionem, deriuationẽ esse. Videtur mihi profectò parum eorum, quæ ipsi doctissimè ex Hippocrate & Galeno in mediũ adduxerunt memores, atq; suarum de reuulsione ac deriuatione finitionũ obliti. Scribũt namq; ex secũdo curatiuę methodi ad Glauconem, in fluẽtibus quidem adhuc humoribus, reuulsionem, ijs autem fluxionibus quæ iam partem obsederunt, deriuationem medelã esse. Ad hęc, reuulsionem humoris ad longinqua et cõtraria esse euacuationem. deriuationem verò, ex ꝓxima loci affecti particula sanguinis eductionem. Insuꝑ acriter & verissimè cum aduersarijs cõtendunt, venæ sectionem, quę in cubito e directo affecti lateris tẽtatur, ad reuulsionẽ in pleuritide abũdè sufficere, atq; cum humore adfluẽte inflammationi quoq; inhærẽtem in eadem venæ sectione (modò copiosior sanguis ꝓfluxerit) uacuari. Quid q̃so aliud id indicat, quàm ea venæ sectiõe reuulsionem deriuationemq; fieri? fluentis nimirum adhuc sanguinis reuulsionẽ, & in parte laborante contẽti deriuationem. Deinde parum animaduerterũt, dum aduersarijs persuadere conãtur eiusdem lateris ve-

nę sectionem ad reuulsionē euacuationemq́ sufficere, se deriuationis loco, euacuationis nomine semper iuxtà cum Galeno vsos: siquidē nihil aliud deriuatio censetur, quàm humoris particulam obsidētis ad proxima euacuatio, quam euacuationis nomine in prędicta oratione proculdubio Galenus significauit, quū reuulsio quoq́ euacuatiōis species habeatur.

Sed fortè obijcient, illam humoris in parte contēti, post adhuc fluentis euacuationem, nō dicendam esse deriuationem, ꝙ ex proxima parte sana non celebretur: quoniā ipsi fortassis absq́ vlla limitatione partem propinquā, laboranti parti vicinissimā interpretabūtur, tametsi aduersarijs alioqui distantem partem in reuulsionis definitione maxime remotam intelligere vetant. Sanè hac ratione aduersarijs non modo minus æqui propinquū ad eū modum commētantes videbūtur, sed etiam sui ex Galeno dogmatis obliti conuincentur, quod profitetur, reuulsionem deriuationēque per communes maioresq́ oportere venas fieri. Deriuationem siquidem venæ eiusdem lateris sectione celebrari posse inficiant, differētes nō aliter ac si solis cucurbitulis, aut calidioribus emplastris affecto lateri exterius adhibitis, deriuatio in pleuritide moliēda foret. Cu-

curbitularum

curbitularum enim vſum, ac calidioris empla
ſtri impoſitionem pro deriuationis exemplo,
in pleuritide adferunt. Quanquã nec ego ſo
lis cucurbitulis ĩ iunioribus imbecillioribus-
ue corporibus interdum poſſe deriuari atque
adeò reuelli, in pleuritide negauerim: Sed
quum meridiana luce clarius ſit, in omnibus-
propemodum totius trunci corporis internis
inflammationibus, deriuationem venæ ſe-
ctione celebrandam eſſe, quam venam quœ-
ſo incidendam in his præſcribent, niſi læſo
membro proximam in parte ſana venam?
At nulla interiori vena cubiti nunc dictis in-
flammationibus vicinior exiſtit: quamob-
rem illam deriuationis gratia incidendam
eſſe, probatum abundè relinquitur. niſi forte
externam iugularem, ſectioni ob difficilem
impacti vulneris conglutinationem ineptiſ-
ſimam, aut in pectore venam exiguam ni-
mis, nec ocyus euacuantem, aperiendam con-
tra omnium probatiſſimorum medicorum
ſententiam aſtruere contendant. Rurſus quis
auerſabitur, id quod manifeſtiſſimis rationi-
bus ad reuulſionem longinquum ſatis eſſe ſi-
bi demonſtrare videntur, ſatis quoq; ad deri-
uationem, parti affectæ vicinum eſſe: quum
nihil ad opportunam venę ſectionẽ, in inter-

narũ partium inflammationib. reperiri pro-
pinquius liceat. Sed quorsum attinebat, quic-
quã de vicinitate ad eius rei corroboratione͂
adduxisse? quum poplitis ac malleolorum se-
ctionem, in coxendicis, renum, vteri, & vesicę
affectibus cum Galeno ad deriuationem suffi-
cere verè profiteantur, illicq; euacuationi deri-
uationis nome͂ non semel accommodent: no͂
perpendentes, malleolũ ab vtero longius dis-
situm, quàm à superiorum costarum interual-
lo, in cubito axillare͂. Porrò ne eruditissimos
veteris medicinę vindices apud te suggillare
videar, hac relicta disceptatione, ipse co͂cedã,
eodem tempore in eade͂ venę sectione reuul-
sionem & deriuationem simul non fieri. Ve-
rum quãdiu fluens, aut fluxurus adhuc ad læ-
sum membrũ sanguis è vena educitur (quod
inter initia potissimum fieri consueuit) reuul-
sionem celebrari: dum verò in parte͂ dimissus
atq; inhęrens ex eadem vena incisa profluit,
deriuatione͂ perfici arbitror. Atq; in tota hac
orationis meę serię, ad eum modum reuulsio-
nis deriuationisq; nomen vsurpaturus sum.
Accedit his inter aduersarios disceptationi-
bus, Hippocratis dictio κατ' ἴξιν à Galeno in se-
cũdo ad Glauconem & aliàs sæpissimè recita-
ta, quinetiam alia eiusdem cũ priore signifi-

cationis κατ' ἐυθύ. Harum vocum rationem hactenus parũ animaduersam opinor, ac quẽadmodum vtriusq; factionis autores eas intelligant, indicare esset quam difficillimum, quũ nemo vel per transennam, earum reddere rationẽ aggressus fuerit. Proinde omissis in p̃sentia nonnihil illorum contẽtionibus ac dissidijs, quid semp̱ ipse intellexerim, obiter adscribam. Primum hanc vocem κατ' ἴξιν, quemadmodum κατ' ἐυθύ, quas è directo interpretantur, secũdum rectitudinem significare indubitatum est. Vnde autem desumptę sunt, non adeò constat. Ego ex fibrarum consensu rectitudineq;, eas primum deductas reor. Sciuit enim diuinus ille Hippocrates, venę atq; arterię naturã ventriculi naturę ac intestinorum, vteri, cordis & vesicarum respondere: nimirum ex fibris certis, nõ autem vt sors fert, contextã, quibus suas naturales actiones motusq; hęc vasa obire oportebat. Quibus.n. organis attrahendi munus pręcipuè concreditum videmus, illis rectæ & longę fibrę insunt quamplurimæ, veluti œsophago, ad cibi in vẽtriculum ex ore attractionem potissimũ a summo rerum opifice creato. At quibus instrumẽtis excernẽdi propellẽdiq; facultas prę cęteris familiaris est, ea multis fibris transuer-

ſis intertexta ſunt, è quorũ numero cenſentur inteſtina, excretioni potiſſimũ ſeruientia, ob idq; plurib. fibris trãſuerſis compacta. Atqui & vterũ, quoniam diutius ad generis reparationem conceptum ſemen genitale retinere, q̃ vel id attrahere, aut fœtũ in partu propellere oportebat, obliquis abũdare fibris, ex corporum anatome in comperto habemus. Quin etiam & cordi & ventriculo & veſicis ambabus, quoniã æquali ferè attractione, expulſione & retẽtione indigebant, triplex fibrarũ genus, natura fruſtra nihil creans, illis æqualiter propemodum commiſit. Enimuero Galeno, Herophilo, Marino, cæteriſq; diſſectionũ ꝓfeſſoribus firmiſſimum theorema eſt, in naturalibus corporis motibus, rectis fibris (aut vt alij vocant, villis) attractionem, trãſuerſis excretionem, obliquis retẽtionem perfici. At retentionem, attractionem & excretionẽ in pręſentia appello, quibus iam dicta inſtrumenta vniuerſo corpori inſeruiũt, non quibus proprium alimentum attrahunt, conficiũt, ac donec confectum ſit retinẽt. Porrò triplex illud fibrarum genus, ac tres naturales functiones, quas a iocinore venę ſortiuntur, minimè negligendas Hippocrates duxit, quũ diceret ſecũdum rectitudinem ſecandam eſſe venam,

siue deriuationem, siue reuulsionē moliaris: per rectitudinem inquam, fibrarū rectitudinem obseruandā, atq; consensum, peritissimè insinuās. perinde ac si secta remotiori, & obseruata huiusmodi rectitudine, melior fieret humoris ad partem ęgram cōfluentis fluxuri ue reuulsio, & diuisa viciniori, præstantior a parte laborante deriuatio. Nemo enim sanæ mētis inficias ibit, in venę sectione naturales facultates, quib. venæ toti corpori in sanguinis administratiōe famulant̄, torpere, ociosasque esse: atq; venas ad sanguinis eductionē, versus impactū ipsis vulnus, & dolorificā ligationē & frictionē, aut calētem aquā, suis rectis fibris & trāsuersis plurimū auxiliari: postremò illā fieri fluxus rationē quam ex dolore in inflammationibus Galenus assignat neminem latère debet. Hæc enim præter cętera quam plurima ipsius loca, in libro decimotertio Curatiuæ methodi de inflammationū ex causa externa generatione, ipsius sunt verba:

" At quę dolēt, cernuntur ea quoq; phlegmonem ex dolore pati, sed causam eius nō omninò assignāt quidā nullo modo probabilem. Nostra vero sententia est talis. Docuimus in eo opere q; de Naturalibus facultatibus edidimus, vnam esse naturæ facultatē quam ex-

„ cretoriam dicimus. ea suo munere tum fungi „ tur, quum triste aliquid sentit. vnum verò „ quiddam est ex ijs, quæ eam contristat: ipsa „ quæ dolorem excitat causa, quæcunque ea sit. „ Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmo„ nem interdum in particula concitat: cum e„ nim primis suis conatibus nihil proficit, vehe„ mentius aggressa, quod infestat, sanguinis „ aliquid & spiritus ex superpositis partibus, in afflictam simul exprimit. Quinetiam nisi dictam nunc functionē excretoriam per suas fibras in sanguinis missione ipsum educere, illumque ad partis subsidium attrahi in cōfesso habeamus, rationem qua ex inferioribus ad superiora, & à dextris ad sinistra in venæ sectione sanguis cōfluit, imaginari perquàm arduum & omnino impossibile erit. Quis enim vacui ratione omnia peragi ratiocinabitur? quum penitus amoto vinculo, aut calida aqua, aut cessantibus frictionibus sanguis vix amplius ex vena promanat. Ad hęc aliud « nihil indicarunt primi illi medici, venę sectio« nem per duos diametros fieri sanctissimè prohibentes, quàm eiusmodi sectione, fibrarum « rectitudinem atque consensum perdi. Iam ve« rò si alia huius Hippocratici dogmatis ratio « inuestiganda foret, qua aliud à consensu fi-

brarum Hippocratem iudicasse probabiliter astruerem, nulla se offeret, quam non statim ad hanc de qua modo loquor rectitudinem referri oportebit. Nam si quis rectitudinem hanc intellexerit, rectam lineam, sicuti præsentis negocij ignaro imaginari esset quàm promptissimum, fortasse rectitudo à dextra capitis parte ad pedem dextrum esset: parua autẽ, aut penitus nulla ad dextram manum. Quod si is manus ad crucis effigiem extẽderit, rectitudinem metietur à iugulo ad cubitum, imò & à dextra manu ad sinistram: sed iecoris cum dextro cubito, ac lienis cum sinistrę manus extremo, rectitudinem fingere, perquàm difficile erit. At verò si forte has rectitudinis quoq; differentias esse quis contenderet, quo pacto obsecro is rectitudinem in angulo totius corporis acutissimo, suisque costis longissimo statuet? cuiusmodi triangulus est, cuius primus angulus est supra ossis sacri latiùe principium, secundus in dextro poplite, aut pedis dextri interiori malleolo, tertius vero in sinistro genu, aut pede. Hic namq; triangulus necessariò consurgit, si dextro pede laborante, in sinistro crure uenam secueris, aut aliquam interiorem cruris partem scarificaueris: ac proinde fingendo

rectam lineam ab Hippocrate intelligēdam
esse, summā obliquitatem, peæter sensus com
munis indicium, rectitudinem esse fateamur
oportet. Iisdē rationibus improbabitur præ-
sentium dictionū ratio, nunc primum à quo
piā (ut ipse ait) celeberrimo apud Bononiē-
ses medicinæ professore, excogitata per recti
tudinem nimirū intelligendam esse, vnā cor-
poris partem, ad eum modū quo Hippocra-
tes δίδυμον corpus esse tradidit: duos scilicet o-
culos, duas aures, renes duos, & ut rē in pau-
ca cōtraham, ait ipse dextra sinistris respōde-
re, ob idq; dextra inter se, et sinistra inter se re
ctitudinē sortiri, nequaquā verò dextra cum
sinistris consensum seu rectitudinem obtine-
re. Atq; ut ea sentētia plus roboris nancisca-
tur, adijciā dorsalē medullā à suo mox prin-
cipio (quod ego ex cerebro, nō autem cere-
bello esse existimo) vnicam esse, & tantū late
ris vnius esse cōsensum, vt media eius pars re
liqua illęsa resolutione infestatur. Quā verò
is scopū attigerit, ipse apud te excutito. nam
præter hæc quæ proponit, sanguinem quoq;
in vena secundum longitudinem septo quo-
dam diuisum fingat necessum est. Nec quia
corpus geminum est, statim sequitur, dextras
venas dextris, et sinistras sinistris rectitudinē

mutuam participare:ſed quod fibræ ad eum modum ſint à natura conformatæ,quanquã, vt in ſermonis progreſſu fortaſſe oſtendam, falſum, ſit,venam nutrientem nouem,aut decem (aut ſi in præſentiarum voles, octo) coſtas inferiores vtriuſque lateris,cũ ſiniſtri cubiti,aut cruris ſiniſtri venis rectitudinem vllam obſeruare. Vt corpus quidẽ vtrinq; æquè ponderoſum redderetur, geminũ natura id eſſe voluit,ac venę pari carentis tanquã æquilibrium quoddam præbuit, arteriã magnã ad inferiora thoracis propter ſpinæ ſiniſtrum latus delatam, venam verò dextræ ſpinæ regioni inniti voluit. Præterea is reſpuet Galeni ſectionẽ ex dextro malleolo, aut poplite ad ſiniſtrũ, Hippocratis ex occipitio ad frontem, quę tamen ſecundum fibrarum rectitudinem celebrantur venarum ſectiones: Inſup multò magis incuſabit inciſionẽ, quæ in dextrę manus phlegmone ad ſiniſtrã, aut ſiniſtræ ad dextrã celebratur, in qua tamen optima ſeruatur fibrarũ rectitudo atque cõſenſus,ſi in illis corporib.inciderit, in quibus axillares à caua ante magnã in glãdio bifurcationem propagantur. Verum res ea dilucidior eſt,quàm quę ꝓlixiori refutatione indigeat.quã citius quis ſibi perſuaſerit,ſi incon-

ſuta veſte vniuerſum corpus indutũ imagi-
nabitur, veluti in larualib. diebus ac theatris
nudã, aut dęmonis ꝑſonã referre ſtudentes, in
dui cõſueuerũt. Nã ſi quis ex inferiore dextri
brachij regione filum euellere conabit̃, cõſpi
ciet id ex dextro thoracis latere, adeoq; ex ſi-
niſtri pedis plãta, recta ſurſum ad primũ ex-
tradictionis locũ ꝑtingere. Si verò ex ſuꝑiori
brachij parte filũ euulſerit, ex capitis dextra
regione filũ verſus primũ extractiõis locũ ꝓ
trahetur, atq; eadẽ ſiniſtri lateris ratio eſt. Itẽ
ſi ex interna dextri cruris regiõe filũ trahere
molietur, ex interiori ſiniſtri cruris parte, filũ
ꝓduci ſub peritonæo intuebit̃. Deinde ſi ex
medio dextri brachij filũ protraxerit, ex ſini-
ſtra manu id ſuccedet. Quoduis autẽ filũ ex
dextra manu aut pede euellere ſtuduerit, nul
lũ ex ſiniſtro thoracis latere, verſus dextrum
mouebit̃, multoq; minus ex dextro ad lęuũ.
Verũ quũ ars naturã ĩ venis ab eo exẽplo di-
ſcedentib. ęgrè imitari poteſt, hęc ex corporũ
anatome vnũquẽq; medicũ obſeruare cõue-
niebat, nec abſq; exacta venarũ notitia de ip-
ſarũ in morbis ſectiõe AEſculapios noſtros
ſola autoritatũ cõgerie fretos, Andabatarum
more, rixoſe cum aduerſarijs decertare. Noui
equidẽ inter cœteros quendam q ſecundò de

vena in dolore laterali ſecanda cõtra Galeni
ſententiã ſcribere haud veritus eſt, priuſquã
vel per ſomniũ quidem Anatomen vidiſſet:
quanq̃ hactenus vnicæ dũtaxat, me ꝑfuncto
rie adminiſtrãte, aſtiterit. Proinde ſaluo accu
rato tuo iudicio, erit mea cũ Hippocrate ſen-
tẽtia, ad fœliciorẽ opportunioremq́ꝫ uenę ſe-
ctionem, ſiue deriuatio ſiue reuulſio moliẽda
ſit, perpetuò venã ſecũdũ fibrarũ conſenſum
ac rectitudinẽ incidendã. Huic axiomati, ex-
actam venæ in thorace diſtributionẽ ſubiun
gam, quam ad hunc modũ vt plurimũ habe
ri animaduerti. Venę cauæ trũcus ex iecoris
gibbo ſuperiora petens, ac ſeptũ tranſuerſum
permeans, duos atq́ꝫ interdũ tres inſigniores
ramos ſepto cõmunicat. Deinde admodum
exiguas, ac capillaribus venis ſimillimas ſo-
boles in duas mẽbranas thoracẽ interſepien
tes (διαφράττοντα Græci vocant) diffundit. Cor
di verò inuolucro ſi accuratè dictas mẽbra-
nas ab ipſo abſtuleris, nullã ferè aut perq̃ exi
lem à caua venulam, cõmunicatam reperies.
Iã cordis baſim & ipſius dextrã auriculã ca
ua attingens, ex media ſua regione in dextrũ
cordis ſinũ aperitur, ipſiusq́ꝫ venæ corporis
portio, illi inſinuatur. Hęc priuſq́ꝫ in ſinũ pla
nè deſinit, venã coronę modo cordis baſim

cingentem, ac in vniuersam ipsius substantiã excurrentem producit: quã interdum geminam, sicut & duas coronales arterias, inter secandũ obseruauimus. Fit verò hæc cauæ uenæ in dextrum cordis sinũ diuaricatio, supra quintam dorsi vertebram, cui basis cordis ab anatomicis supstrata asseritur. Deductis his propaginibus, caua vena cordis dextræ auriculæ firmissimè adnata, paululumq; ad lõgitudinem sæpe vnius vertebræ ascendens, ex dextra sui parte, in simijs, canibus alijsq; ꝓximè hominem referentibus animalibus, venã dispargit, quæ dextrę spinæ regioni innixa, deorsum ad vltimam vsq; thoracis vertebrã ac primã secundamq; lumborũ contorquetur, ac vtrinq; singulis sibi correspondẽtibus costarum interuallis, singulos ramos satis insignes communicat. Quũ verò Galenus in secũdo de Victus ratione in morbis acutis cõmẽtario Aphorismi decimi tradiderit (vt interim mendacem locum in libro de Venarũ sectione silentio prętereã) hanc venam è regione dextrę auriculæ oriri: fortasse dubitauerit aliqs in Anatomes speculatione parũ versatus, num eadẽ in hominibus ac in alijs quadrupedibus animantibus, venæ cauę hoc in loco distributio inueniatur: an ne sub cordis

basi, aut è regione eius quæ in dextrũ cordis sinum vena properat, aut etiã priusquam caua cor attingit, vena sine pari à caua ꝓpagatur: siquidem & postremum illud, Galenum in dicto nunc commẽtario, bis indicasse reor. Huic ego de venæ ortu percunctanti, præter oculatam fidem, nihil in rei testimoniũ adferre possum. Quantũuis namq; operosè & industriè venæ cauæ diuaricationi animũ adhibuerim, perpetuò supra cordis auriculam, venam sine pari, non aliter atq; in canibus ac simijs, in hominibus propagatam deprehendi. Supra autẽ ita à me dici intelligas velim, ad naturalem auriculæ situm, non autem ad summum eius apicem digitis ad superiora attensum. Nec meis tantum oculis fidem adhiberi postulo, verũ omnibus, qui Lutetię, Patauij, Louanij, & alibi nõ semel mihi publicè administrãti astiterunt, vbi vt verã de venæ sectione scientiam nãcisceremur, eam Anatomes partẽ diligentius sum aggressus. Taceo interim me, in vtriusq; sexus corporibus omnes costas hac vena nutriti, Patauij in frequẽtissimo eruditissimorum spectatorũ cõsessu ostendisse, quum nuper publicè mihi demonstrandi secãdiq; prouincia demãdata fuisset. Deinde nõ præter rationem, hanc inter cæte

ras venam coniuge carentē, ac sine pari Latinis, Gręcis vero ἀζυγὴν passim appellat legimus. Siquidē ita nominari meretur, quòd ex latere opposito nullam sibi correspondentē venam sortitur. quam indubiè haberet, si è regione dextræ auriculę propagaretur: eam videlicet, quæ ad dextrum cordis sinum ptinet, cui coronalis uena coniunx creditur. Sub cordis autem basi, aut priusquā cor caua vena attingit, eam enasci, nemo vel qui ipse secādi munus obierit, vel qui secantem spectarit, asseret. Hęc quidem eò induxi, vt commonstrem hanc supra cordis auriculam venamq́ in cor dispersam, super quartam & ferè tertię metaphreni vertebrę finē à caua etiam in hominibus productam. Est & aliud circa pręsentis venæ initium non oscitanter obseruandum, eam nimirū, vt prius quoq́ admonui, à cauę dextro latere enatam, nō autem (quod fortè qſpiam Anatomes ignarus, atq́ deprauato Galeni loco in libello de Venar℞ sectione illusus asseret) ex ipsius sinistro, aut medio quà spinam caua respicit enatā. Quod si qs inficiabitur, ob oculos fidelissimos rerum testes coràm ei obijciam, quibus si orbatus qſpiam huiusce rei aliud requirat testimoniū, is per me vel solo tactus sensu euadet certissi-

mus modò secãti mihi haud dedignetur assi stere, vel pręstantissimorũ virorum iudicijs assentiri non detrectet. Cęterum miraberis forsitan, cur adeò religiose de venè huius or tu disceptẽ: Nõ ob aliud sanè, quàm vt nouẽ & aliquãdo decem inferiores vtriusq; lateris costas, ea nutriri mihi annuas, illamq; à venę cauę dextro deductam largiaris: pręsertim quũ norim, non ad manum ilico corpus humanũ fore, ex quo hęc (si absurdiora duxeris) contẽplari queas. Adde & meę propositionis robur, hinc imprimis desumendũ. Sed ad reliquas venæ cauæ soboles reuertamur. Vena caua postquã hanc sine pari distribuit venã, sursum ad glandiũ properat, vbi mox bipartita in duos truncos finditur. Dexter (idẽ de sinistro intellige) venã producit primę costę innixã, ac sub clauicula ad axillam procurrentẽ. Ad huius originem à caua vena ad tres supiores costas dextri lateris, vena diffunditur, adeò exigua, vt subinde visum effugiat, imò sepius ipsam deesse repies, quũ paruis illis costis ab axillari ipsis incũbente abunde nutrimenti frequenter suppeditetur. Truncus hic, post harum venarum distributionẽ sursum conscendens, internã dextram iugularẽ, & ad trãsuersos vertebrarum colli

processus pertinẽtem venam à se deriuat. Reliquum autem eius in externam iugularẽ, cuius ilico humeraria soboles est, finitur. Verũ in glãdio, vbi paulo ante dicta sit bifurcatio, duę enascũtur venæ, ad vtrunque pectoris ossis latus, vtrinque vnà procurrẽtes: à quibus pectori mammillisque alimẽtum pręcipuè administratur. suntque eę, quę cum vteri venis sub rectis in abdomine musculis coeũt. Nutriunt itaque vniuersum thoracẽ, vena paris expers, duæ ad trium superiorum costarum interualla, & duę ad pectoris os delatę. At quemadmodum etiam in nostris dissectionũ tabulis adnotauimus, hæc in glãdio magna cauæ bifurcatio, subinde post axillariũ venarũ propagationem, primum conspicitur. Iam quid Galenum mouerit, cur obscurius, & secum eodẽ loco pugnans, venę absque pari in hominibus, quàm cęterarum corporis venarum mentionem fecerit, ac quamobrem venas in propria de venarum tractatione prętermissas, ferè παρέργως alibi recensuerit (si modo de ipsius oraculis dubitare fas sit) subiungam. Legitur quidem in secundo Hippocratis libro de Victus ratiõe in morbis acutis, Aphorismo decimo, ad hũc modum. Quum ergo ad iugu-
» lum dolor extenditur, aut grauitas vel bra-
» chium,

chium vel mammillam, aut partes quæ supra ,,
transuersum septum sunt, dolor affligit, inter- ,,
na cubiti vena secanda est. Dein paulo pòst
Hippocrates subiecit. At si partes quę sub trãs ,,
uerso septo sunt, dolor infestat, sed ad iugulũ ,,
non ascendit, tũ vel nigro veratro, uel peplio ,,
aluus ducenda est. Præsentem Aphorismum
Galenus commentatur, ac si Hippocrates pręcepisset, phlegmone in laterali dolore costas
superiores affligente, sanguinis missione vtẽdũ esse. Quando verò in costis inferioribus
inflãmatio hominem cruciat, medicamento
purgante esse subueniendũ. Perquirens igitur Galenus causam, quapropter deijcientis
medicamenti potius, quàm sanguinis missionis usum prætulisset Hippocrates, venarum
distantiam arguit, ac suam ferè sententiam ad
tritum nostrorum medicorum placitũ reflexit, quo docetur, sanguinem prauum ex locò
affecto per partem nobiliorẽ minimè trahendũ: quasi uenæ interioris cubiti sectione, per
cordis regionẽ ex inflammatione nothas inferioresq; costas occupante, sanguinem transuehi necessum foret. Cæterum Galenus hæc
parũ efficacia perpendens, quantumuis Hippocrati contradicere religiosissimè semper ca
uerit, tandem tamen tacitè subiecit, quod post

ea AEgineta apertius explicuit: nimirũ venę sectione potius quàm purgante pharmaco vtendũ esse propter eam quam medicamentum purgans adducere consueuit perturbationem: quodq; semel exhibitum medicamen in manu, quemadmodũ incisam venam, non teneremus. Atque ita, qua potuit summa moderatione Galenus se repressit, vt quàm minimũ ab Hippocratis sanctione recedere uideretur. Quod vt fieret facilius, ad eum quem dixi modum, de vena sine pari pertractauit, scopum dirigens, quasi vena coniugis expers, ab incidendis venis plus æquo distaret. Hanc contra Hippocratem sententiam præstantissimi quiq; mediocrũ amplexantur, atque utriusque secte autores in eam quoq; cũ Galeno descendunt. Quamuis non ignorẽ, quosdam Hippocratis verbum συμβαίνει de humoris potius ad superiora affluxu, quàm de doloris extensione, perperam interpretari. Liceat igitur (oro) me, affectu nonnihil seposito, Hippocratis dictionem apud te summũ ueritatis amatorem, examinare: siquidẽ vniuersum ferè latus à clauiculis ad ilium ossa usque, ab Hippocrate intellectum mihi persuadeo: vt in priori quidem periodo, partem lateris duodecim costis interseptam, posteriori vero, quod à septi

transſuerſi orbiculo infrà ad ilium os vſq; perti net, Hippocrates ĩdicaſſe videatur. Agit enim de tenſiui doloris extenſione productioneq;, non autem de phlegmones atque doloris pũ ctilis regione. Et in quacunque tunicæ coſtas ſuccingentis ſede inflammatio ſubſtiterit, cer tiſſimum eſt tenſionem ad iugulum ac claui- culas vſque ob conſenſum neceſſario percipi: Nouimus quippe in iecoris inflammatio- ne, ad iugulum vſq; tenſionẽ moleſtare: non alia profectò ratione, quàm quòd ſepto tranſ- uerſo iecoris grauitate deorſum protenſo, ſu- perior eius membrana à tunica coſtas ſuccin- gente enata, ſimul protendatur, atque ita per conſenſum totius ſuccingentis tunicæ dextra pars, tenſionis ſenſu, ad iugulũ vſque infeſte- tur. Impoſſibile enim eſt, membranam angu- ſtiorem ac duriorẽ, naturaq; maximè proten- ſam, aliqua ſui parte vehementius ex inflãma tione prætendi, quin vniuerſa tenſionis parti ceps ilico efficiatur. Quòd uerò in ſecũdę pe- riodi initio dixerit, ὑπὸ τὰς φρένας, non autem μετὰ τὰς φρένας, an'ne quod propoſui confirmat? eam enim orationem ſub ſepto tranſuerſo ſi- gnificare, neminem latet. Verũ qualiter infe- riores coſtę ſubiectæ dici mereantur, vix ſatis aſſequor. Nam ſeptum tranſuerſum à fine oſ-


ſis pectoris,vbi in mucronatam cartilaginem deſinit,principium ſumens,ac paulatim ſpuriarum coſtarũ finibus annexum,tandem ad thoracis vndecimã vertebram iuxta duodecimæ uertebræ principium pertingit, fortiſſimiſq; ligamentis illis & primis lumborũ vertebris annectitur. Quare ſi hominẽ ambulare,ſedere,aut ſtare imaginemur,nulla prorſus coſta ſepto ſubiecta erit. Verũ ſi quis hominem ſupinum procumbere voluerit,idq; ſub ſepto eſſe contẽderit,quicquid infra vertebrã è regione ſuperioris ſepti exortus locatã poſitum eſt,illi idem Sub,quod è regione,neceſſariò denotabit. Quanquã nec ita præter duas tres`ue uertebras cum ſuis coſtis ſub ſepto aliud foret. Septinamq; ſuperius initium,è regione nonæ vertebrę thoraris eſſe,coniectura aſſequor. Quamobrẽ ad hunc modum Hippocratis oraculum intelligens, neceſſariò cõmuni ſenſui derogabit. Pręterea ex Galẽi ſententia ſequeretur, Hippocratem duntaxat in quatuor ſuperiorum coſtarum inflammatione ſanguinis miſſionem præcepiſſe, quum ex ipſius ſententia, octo vtriuſque lateris coſtæ venæ ſine pari ramis nutriantur. Cæterum ſi Hippocratis Aphoriſmum ad meam ſententiam accommodauerimus,tunc demũ vena-

rum distantia locũ habitura est,ob quam forte venę sectioni,medicamentum purgans esset præferendum. Lumbis namque sub septo transuerso propriè locatis,à venis secandis nihil remotius in corpore dissitum imaginari licet:adde illis exiles venulas,non quidem magnas,quemadmodum ventriculo,lieni, renibus,vtero,uesicæ,alijsq; visceribus esse à natura cõmunicatas. Deinde vicinissimi sunt lũbi ventriculo & intestinis, ob idq; faciliorem medicaminum futuram actionem, nemo infi ciabitur. Postremò si venarum distantiam ex Galeni sententia ad Hippocratis excusationẽ argueremus,iecore, liene,ventriculo, renibus & vtero phlegmone obsessis, non mittẽdum esse ex Hippocratis præscripto sanguinẽ colligeretur. Ad huius,sententiæ firmius robur conciliandum,aliquot Hippocratis Aphorismos ex Aphorismorum libris adducerẽ, nisi mihi cum singulari tua medicinæ cognitione res esset. Nec me monet, quod contentiosior quispiam fortè obtrudet.si lumborum seu iliũ dolorẽ sub pleuritide cõprehendero, me pleuritidis voce abuti. Cui respondebo,id morbi nomen ex eorũ esse genere,quæ à loco affecto primã impositionem sumpserunt,cuius generis est nephritis,peripneumonia,ophthal

mia, coxendix:significabitque mihi id nomen pleuritis, vniuersi lateris affectum, non autem solius costas succingentis membranæ. Veluti plerique opinantur, eam membranam barbarè pleuram vocantes. Præterea id nomē à costis, quæ etiā quod latus constituunt, πλευραι nuncupantur, nequaquam primam impositionem assumpsit: quum ueteres Latini scriptores pleuritidim dolorem lateralem, potius quàm costalem appellant. Hæc quidem eò refero, quòd Galenū de ea vena obscurè scripsisse, ad marginem mearum tabularum indicauerim. vt que Hippocratis sententiam fuisse ostenderem, in quacunque costas succingentis membranæ parte, phlegmone infestauerit, venam potius secandam. quàm purgans medicamentū porrigendum. Sed ne uidear hæc anxiè nimium apud te excutere, ad rem reuersus, principiò pedem cum prioris sectæ autoribus (e quibus & tu vnus semper extitisti) conferam: qui è directo affecti lateris venam inter initia in cubito secandam præscribunt. quorum præcipuas sententias & axiomata mihi tanquam optimè uerissimè que ab illis Galeni aliorum que præstantissimorum medicorum autoritatibus, atque adeò optimis rationibus probata assumam. Est igi-

tur vobis firmiſſimum theorema, ex eadem vena reuulſionem & deriuationem poſſe fieri: quod eſt, conſtantibus ægri viribus, vna ſectione poſſe fluentem humorem ad longinqua reuelli, atque adeò euacuari, & iam in inflammatione contentum ſanguinem per propinquum deriuari, ac ſimul educi. Quum hæc interdum licere oſtendiſtis, adijcitis poſtea, id maximè in laterali dolore præſtandum eſſe, quum is morbus tam acutus perimens que ſit, vt duas illas euacuationes ſimul ilico expetat, neque vt illas intermiſſis vicibus celebres euacuationes, inducias præbeat. Addam & venam cubiti è directo lateris affecti, ſatis ad ſolam reuulſionem diſſitam: ſi forte illam duntaxat, ob virium imbecillitatem, adhuc fluente ſanguine, exequi cogeremur. Deinde ad deriuatitonem, nullam ea quæ laboranti lateri è directo eſt, viciniorē ad commodam ſectionem reperiri exiſtimatis. Poſtremo vtranque auerſionis ſpeciem ſecundum fibrarū rectitudinem atque conſenſum faciendā, ſuperius abunde demonſtrauimus. Ex his inducetur, ſi quis corpore plethorico ac ſuccorum abundantia laborante, viribus utcunque robuſtis in ſuperiorum trium coſtarū partis dextræ aliqua phlegmone corripia-

tur, illi sanguinẽ inter initia ex dextra axillari educendum, donec vel rubicundior multò vel pro puro rubidoq; liuidus effuxerit: utrũque enim accidere testatur Hippocrates. Si uero in sinistris costis superioribus inflãmatio constiterit, aperietur intrepidè pari ratione, sinistra axillaris. Atque hæc omnia tecum confiteor. Verum vt negocium dilucidius paulo ob oculos collocem, venas thoracis obiter delineabo, quo mathematicorum more rem aggrediamur.


C
E
DE
G
K
I
L
K
H
L
K
L
K
L
K
L
A
K
L
B
K
L
K
L
K
L
K
L
M

In hac vera, quamuis rudiori figura, A litera significabit nobis venam axillarem dextri brarhij, ad cubitum vsq; deductam, ibiq; abtruncatam: B sinistram axillarem, G magnã in glandio aut iugulo bifurcationem denotabit. D & E ambas venas ad anteriora thoracis sub pectoris osse perreptantes. Fuenulam nutrientem tres costas superiores latetis dextri. G venam alẽtem tres elatiores costas sinistras. H venę cauę truncum plane dissectum, vbi dextram cordis auriculã caua tangit, atq; in cordis sinum dextrum ingreditur. I venã sine pari ex caua natam. K, K, &c. nouem ramos venę absq; pari, nutriẽtes nouem costas dextras. L, L, &c. soboles eiusdem venę nouẽ humilioribus costis sinistris alimentum suppeditantes indicant. M vero, dictæ nunc venæ finem, qui per inferius septi foramen, per quod arteria delabitur, ad lumborum vertebras vsq; excurrit. Age igitur laborante F, secabo A: ea siquidem sectione sufficientẽ contrarietatem, & distantiam, & fibrarum rectitudinem, atq; demum vicinitatem seruaturus sum: ob idq; opportune reuulsurus, ac simul deriuaturus, dummodo vna fluentem, adhuc in partem læsam sanguinem, & iam parti affectæ inhærentem eduxero. aut si fluentem

duntaxat euacuauero,solum reuulsurus. Sic pari ratione,si G phlegmone affligatur,recurram ad B.eadem,que sectione venæ A,laborante F,præstiturus.Similis quoque de pectoris venis ratio est.nam D laborante,aperitur A.E vero inflãmatione implicito, secatur B. Atque tecũ actenus consentio : imò amplius, si laborauerit I,aperiam venam A . Sic si aliqua partiũ intercostalium denotatarum per K inflãmatione corripi cœperit,incidendã dico A.Nam A,cum illis seruat rectitudinẽ , & satis ad reuulsionem distat,nullaq; vena gratia deriuationis vicinior opportunè sectioni offertur.Verũ in quo abs te discrepem,ita habeto:si venarũ aliqua significatarũ per L,hoc est decem inferiorum costarum, intercostaliũ partiũ quæpiã phlegmone implicetur,nonne vestrorum achilleis rationibus confirmatorũ axiomatum obliti,secabitis venam B,hoc est sinistrã axillarem ? arbitrati nimirũ,fibrarum rectitudinem consensumq; vos obseruaturos,atque viciniorẽ venã incisuros? Oportebit mehercule vos ad hæc animaduertentes,non B sed A secare.Nã sanguis impactus in L , nusquã nisi ad I deduci poterit , cũ quo oĩa L fibris consentiunt,atq; vicinissima existunt.Sed laborante I,aperit̃ A: ergo & affli-

cta aliqua venarum L,reſeranda eſt vena, A modò reuulſionẽ, aut deriuationẽ ſolam, aut ſimul vtrunque moliri ex alterutro brachio propoſitũ fuerit : quũ vtramque auerſionis ſpeciẽ per fibrarꝫ, vt oſtendimus, conſenſum atque rectitudinẽ celebrare oporteat, qualis nulla eſt L cũ B. Pręterea vicinitas ab L ad B, quę in deriuatione potiſſimũ ſpectatur, nõ tanta eſt, quanta L ad A. quandoquidẽ I, ꝓpinquius A eſſe videmus, quàm B: ergo etiã L vicinius neceſſariò eſt A, quàm B. Ex his itaque propoſitis ſequitur, ſiue ex brachio reuellere & deriuare ſimul viſum fuert, ſiue dũtaxat in imbecillioribus viribus reuellere, & deinde poſt aliquod tẽporis interuallũ deriuare ſtuduerimus, ſemper diuidendã eſſe dextri cubiti axillarẽ. Niſi fortè aliquã triũ ſuperiorꝫ coſtarum ſiniſtri lateris, inflãmatio moleſtauerit. Tunc.n. ſiniſtram axillarẽ vnà tecum aperiendam ſuadeo, vt ea ſectione vicinitas rectitudoq; obſeruentur. Porrò ſi prioris ſectę aliquis, in homine imbecilliori eodẽ tẽpore & reuulſionẽ & deriuationẽ celebrare ob deiectas ęgri vires recuſauerit, ob idq; ad ſolã reuulſionẽ, pedis venam ſecandam arbitretur, is ſemꝑ in dextro poplite externòue malleolo venam ſecabit, niſi aliquam trium ſupe-

riorum costarum lateris sinistri, phlegmone infestauerit. quod absque longiori demōstratione, te facile ratiocinari non dubito. Nam is medicus huiusmodi sectione distantem procul venam aperiet, & fibrarum rectitudinem consensumq; obseruabit. Quanquam tunc parũ referre arbitror, siue externi siue interni malleoli venas aperiat, quantũuis fibræ exterioris malleoli cum vena sine pari magis cõueniant. Nam quum vtrunque euacuationis per auersionem genus, per communes maioresq; venas debere fieri omnibus in confesso sit, poplitis venam longè ad cõmodam sectionẽ prætulerim, à qua medicos ob tonsorum imperitiam hodie prorsus manum abstinere videmus. Nos illam sat è nõ maiori negocio, qnàm axillarẽ, aut humerariam in cubito, iã sæpius aperuimus, & elegans sanguinis fluxus subsecutus est. Nec tecũ hic disceptabo, nũ ad solam reuulsionẽ, ob imbecilliores ægri vires à deriuatiõe abstinere, coacti, potius dextram axillarẽ, quàm dextri poplitis venam, secare ex vsu sit, quũ vtrunque quæstionis mẽbrum optimis argumentis ac rationũ adminiculis corroborari queat. Equidem non vereor, diuersis innixus ratiõibus optimisq; demonstrationibus adiutus, modò hanc modò

illam aperire venã. At verò si apud te euicero, rarissimè sinistri lateris tribus costis superioribus, inflammationem in dolore laterali subsistere, id quod à me petieras: abũdè apud te corroboratũ arbitrabor, quod posteaquã cum alterius sectæ principibus succinctissimè egero, obiter subnectã. Vt itaq; eos ocyus à mea sententia reijciã, ipsosq; suis principijs nequaquã insistere luculenter ostendã, ad venas thoracem nutrientes suprà depictas recurrendũ est, & ipsorum principia tanquam vera, disputationis ergò assumenda: quę ferè sunt huiusmodi. Humori ad partẽ ægrã fluẽti, aut fluxuro, debetur reuulsio, quæ secundũ ipsos est euacuatio ad maximè distantia. Humori verò in particula ægra coaceruato inhęrentiq;, cõpetit deriuatio, hoc est, humoris ex loco affecto per proximum membrũ sanum auersio, ob id'que euacuatio. Deinde subiungunt: quũ hæ euacuationis species in omnibus vitijs ex fluxione obortis conueniunt, necessariò quoque eas in inflãmatione pleuritidis, ex vsu censendas esse. Sic tñ, vt ante omnia adhuc sanguini fluenti quidẽ, atque affectũ augenti reuulsione, in parte autẽ laboran te collecto, deriuatiõe, interposito tẽporis interualllo, prospiciatur. Proinde reuulsuri, op-

positã venã impliciti lateris, in cubito secant, deinde post tẽporis aliquã intercapedinẽ, eã quæ è directo lateris affecti est, parũ per Iouẽ eorũ quę proposuerunt memores: quũ vtriusque pedis venæ, & ambarũ manuũ humerariæ remotius, quàm axillaris oppositi cubiti, ab inflãmationis loco dissitæ sunt, nec illæ tardius ac minus infœliciusq;, quã hæc è corpore euacuant. Vt itaque res clarior euadat, proponamus adolescentẽ corpore, sanguine turgido, integris viribus, dextri lateris inflammatione correptũ: huic ipsorũ aliquis statim mittendũ sanguinẽ ex sinistra axillari pręscribet. altera verò die, aut quando fluxũ constitisse arbitrabitur, dextræ manus iecorariã diuidet. Sit itaq; inflammatio in aliqua venarũ F, primum aperient B, vtpote venam magis distantẽ quã A. deinde deriuaturi, & tanquã proximiorẽ venam incisuri diuident A. Sic quoq; si G. primũ A. Quinetiã si aliqua venarũ nouẽ costarũ inferiorũ sinistri lateris, inflãmatione occupetur, hoc est L, aperient ilico A, deinceps B, suorũ principiorũ turpiter obliti: quũ inter initia remotior, quæ est B, nõ autẽ A, quæ propinquior vena est, ex ipsorum arbitrio diuidenda erat. Vt interim hic de fibrarũ rectitudine nihil addam, pręsertim apud

eos,quos distantia vicinitasq; plus satis coarguat atque conuincat. Nã I longius distat à B,quã ab A.sed sanguis ab L,non potest educi aliò nisi per I:ergo necessariò in sanguinis missione,L vicinius est A, quàm B.quod ex præcedenti figura conspicere quã facillimum est.proinde ne in illorũ nugis refutandis diutius hæreã,ipsis ex falsis suis principijs,huiuscemodi axioma introduco.In quacunq; lateris parte,in thorace,sit inflammatio, exceptis triũ superiorũ costarũ sinistri lateris duobus interuallis,diuidendam primũ esse axillarem sinistram,deinde dextrã: quoniã ante omnia remotior,ac deinceps vicinior, ipsis in pleuritide secanda putatur. Aut quibus harũ partiũ primoribus, pedis sectio magis quã contrarij lateris inter initia probatur, dicam, perpetuò dextri pedis venã primum,deinde dextrã axillarẽ aperiendam: nisi duo dictarum costarum interualla, inflammatione corripiantur. Sed fortè hi obstrepent,quid nos tantillam curamus à te adductam in tanta distantia vicinitatẽ? vt interim surda aure prætereãt, quod de fibrarũ rectitudine egimus. atque hoc etiã prioris sectæ autores,fibrarum negantes rectitudinẽ,in medium adducere possent. Cæterũ vtriusq; respondebo, mihi maiorẽ cõtra illos

vicinitatem

uicinitatem cordi esse, quàm illis minorem aduersus suos aduersarios, contrarietatem. Dicant quæso, an`ne pro distantia medij pollicis, hactenus tam anxie & aniliter digladiatum est, totque inter primos nostrę ætatis viros subortę simulationes dissidiaque: me verò præter fibrarum rectitudinem, maiorem vicinitatem, in medium adduxisse? Sed ipsorum vesaniam absque omni negocio, dummodo venarum tabulam adhuc semel intueri lubeat, indicaturus sum. Sit itaque inflammatio in D, aut in E. aut in F, aut in G. aut in K, aut in L: hoc est, in quacunque thoracis parte, in locis tamen è regione sibi correspondentibus, distantia vnius inflammationis ad A, aut ad B alterius vicinitatem latitudine tantummodo medij pollicis superabit. Verum vt particularius loquar, sit inflammatio in F, ipsum A non vicinius est F, quàm venæ B, nisi media latitudine venę cauæ. quod liquidò constat, si animum quis ad venam cauam in iugulo intenderit. Necesse siquidem est, sanguinem ex F fluere ad C, hoc est iugulum, deinde ex C ad A, aut B, prout nimirum hęc aut illa vena incidatur. Cœterùm id ad deriuationem tantum relatū videretur, in qua partis affectæ cū incisa vena vicinitas potissimum spectatur. Age itaque distantiam propter reuulsionē cōsideremus. Si venarum F aliqua inflammatione

corripi cœperit, arbitrabuntur se remotius longe venam incisuros, si B aperiant, quàm si A: quum tamen à quocunque puncto venarũ F, nõ remotius dissitũ sit B, quàm A, nisi media latitudine venę cauæ, quæ in glandio in viro naturalis constitutionis pollicis latitudinẽ fortasse sortitur. Verum hanc vicinitatem distantiamq; vel mente captus, post exquisitã venarum cognitionẽ deprehendat. Quamobrem nisi vtriusque hæreseos autores, fibrarum in vtraque auersionis differentia seruandam rectitudinem atque consensum fateantur, ipsos hactenus de lana caprina asiniq; vmbra rixose disceptasse, quis ignorat? quòd tot chartarũ & olei dispẽdio aduersarios, aut distantiã, aut vicinitatẽ medij pollicis obseruandã, in sesqui cubiti, aut duorũ, nonnunquam & trium cubitorũ lõgitudine, docere ad nisi fuerint, quamq̃ peritus manualis artifex, tantam distantiam aut propinquitatem in venæ sectione, etiam si volet triplicem, pensaturus sit. Nihil.n. obstare obseruaui, siue supra cubitum axillarem diuiderem, aut sesquipalma sub cubiti articulo incisionem tentarem, dummodo fluente sanguine, alteram mediarum digito comprimerem, ne ex humeraria quoque sanguis efflueret. Imò cum meis commilitonibus in præceptorum nostrorum ægris, vsus experientiæq;

gratia, duas sectiones in ramis axillaris venæ sub cubiti media regione aperuimus, quum remotiori in cubito vena secta, fœliciter et copiose sanguinē vacuare studeremus. Hinc profecto, si sola distantia, aut vicinitas propositę disputationis de secāda vena cubiti in dolore laterali scopus esset, quācunq; etiā thoracis partē inflammatio inuasisset, huius ne an illius cubiti venā inciderē, ne pilo quidem redimerē. An ne itaque nobile illud Hippocratis de fibrarū rectitudine ac consensu dogma respuētes, pulchrè inter se conuiciari & canū more oblatrare, tibi videntur? adeò sane, vt publico edicto in Hispania metentibus, venæ sectione è directo affecti lateris interdictū fuerit. Post longas enim Salmanticæ habitas hac de re disputationes, qui succubuerunt apud illustrissimū Hispaniæ senatum (vt scribis) cōquesti sunt, non minorē humanis corporibus venæ sectionem quę è directo fit perniciem adferre, quàm mortalium animis Lutheranorum schismata. Cuius equidē rei euentum quàm auidissime expecto, quæq; sit futura hac in lite sententia: num Cęsarea Maiestas id ratum habere confirmariq; volet. Vobis siquidem in Liguria pacem tractantibus, suo illi pręiudicio tantis, vt aiebant, malis obuiam processerunt, donec vos Hispaniæ ἀρχιατροι hac de re ex vestro arbitra-

tu ſtatuiſſetis. Certiorē interea pater meus me reddidit, quoſdā apud inuictiſſimā Cęſaris clemētiam ſupplicibus libellis id ſtrenuè egiſſe, vt ſublimi autoritatis ſuæ p̄rogatiua ipſorum decreta atque ſententias velut vallo tutiſſimòque pręſidio aduerſus antagoniſtarum impreſſiones munirent. quibus vel ob hoc minime indulgebit, neque de ſuo concedet iure, quòd triſtem ſanè Principis Pedimontani obitum alta mente repoſitum etiam nunc conſeruet: quem medicos venam in cubito oppoſiti lateris ſecantes interemiſſe, aulici clanculum obmurmurant. hos enim reuellere ſtudentes, & modicum (vt deriuationi ſanguis reſeruaretur) euacuantes, ex ſimplici vt vocant pleuritide, duplicem induxiſſe ferunt: haud perpendentes, viro Principi longiori vita digno, plus noxæ huiuſmodi ſectione inductum fuiſſe, quàm ſi ipſis vocatam hęreſim illi inſpiraſſent: quum huic forte ſua ſuadela ſacerdos aut monachus quiſpiam, illi ne totus quidem diuinus Aſclepiadum chorus mederi potuiſſet. Da operam interim oro, ne tuorum collegarum ſententię cedas: quin potius tot Italię, Germanię & Galliæ eximię eruditionis viros, Cæſ. Maieſtati propone, qui diſcuſſis veteris inſcitię tenebris, è directo affecti lateris ſecandam venā arbitrantur. Quod te conaturum haudquaquam diffido, qui vnus

regni Hiſpaniæ primariorum ſis medicus, & Hiſpanorum illuſtrium amantiſſimus. Aliter fortaſſe, vt rem ſedulo promoueres, refractarius quiſpiam horraretur: arbitratus, nihil eſſe inter res mortalium peruerſis medicorum præceptionibus, humano generi exitialius, aut damnabilius. Quod feſtiuiter admodum, noſtrorum profeſſorum facetiſſimus quidam in medicorum comitijs non ita pridem propoſuit. Erat Heluetius ſacrificus, medicinæ inſignia Patauij ambiens: verum quum ea ob hominis imperitiam (nunquam enim vel à limine medicinam ſalutarat) ab alijs profeſſoribus, grauiſſimis in eo negocio cenſoribus recuſarentur, aiebat ille pro ſacrificio certans: cum Heluetiorum gentem nobis infeſtam eſſe omnes cognoſcant, quid quœſo illis tum capitalius, tum perniciosius à nobis proficiſci poſſet, quàm ſi impune ipſos interficientem apoſtatam aliquem ſplendido inſignitum titulo, ipſis condonare ſtudeamus? Sed vt colophonem diſputationi adijciam, ſupereſt ut demonſtrem, duo trium ſuperiorum ſiniſtri lateris coſtarum interualla, rariſſimè phlegmone infeſtari. Aſſerunt medici ad vnum omnes, inflammatione potiſſimum eam partem corripi, quę rarior, laxior & maior eſt, quę plures grandioresq; ſortitur venas, quę cęteris imbecillior, atque multo magis

ſi nobilioribus partibus vicinior fuerit. Omnia verò hæc mediarum coſtarum interuallis, id eſt quintæ, ſextæ, ſeptimę & octauæ ineſſe, quis inficiabitur? In his enim coſtis, membranam ipſas ſuccingentem, non adeò vt in inferioribus ſuperioribusq́ coſtis annexam, ideòque facilius abſcedere, ex Anatome liquidò conſtat: quare ea pars rarior & laxior neceſſariò cenſenda eſt. De magnitudine nihil attinet dicere, quum vna quę ordine ſexta eſt, ferè duabus ſuperioribus maior & longior exiſtat. Quòd quidem pluribus, iisque maioribus abũdant venis, præter ſectionem ratio quoque ſuggerit. Magnis enim corporibus, magna quæ alimentum ſubminiſtrent, debentur inſtrumenta. Deinde cęteris coſtis has imbecilliores eſſe, hinc conficitur, quod in eodem genere partium illę robuſtiſſimę cenſentur, quibus maior vſus actio concreditur: quæ magis ſuperioribus inferioribusque quàm mediis coſtis obtigiſſe, nemo negauerit, qui inferioribus quidem ſeptum tranſuerſum, totius corporis nobiliſſimum muſculum, viderit annexum: ſuperioribus vero multos inſignes muſculos, qui cum mediis coſtis nequaquam communes ſunt. Quum vero imbecilliores cordi pulmonibusque viciniore exiſtunt, non mirum eſt, ipſas citius cæteris fluxionem ſuſcipere,

atque adeò phlegmone tentari. Adde in pleuritide, dum sacculos & emplastra affecti loci cognoscendi gratia medici quidam accommodant, circa mediam thoracis sedem potissimum exiccari, atque ęgros in laterali morbo punctilem dolorem circa lateris medium sentire, qui phlegmones regionis certissimus est index. Tensionem namque quę in iugulo percipitur, non moror, quum illam quauis etiam membranę costas succingentis parte tensa, in iugulo sentiri, antea demonstrauimus. Experientiam, vt ipse nosti, ad præsentis negotij corroborationem, nullam adferre debeo: quum hac mea ætate paucos hactenus eo morbo implicitos, nisi cum pręceptoribus inuiserim. omnes tamen quos verè eo morbo vexari conieci, circa medium potissimum lateris affici obseruaui, & nunquam circa iugulum punctilem dolorem ægros percepisse animaduerti. Nec arbitror inflammationis corpus latius extendi, quàm ad duo intercostalium partium interualla. & si fortè plura interualla affici simul quis dixerit, subiungam, in tribus superioribus costis sinistris solam inflammationem nequaquam subsistere, sed vnà & inferiores partes ab ipsa infestari. Quare & tunc non minus verum erit, inflammationẽ in venis G, quàm aliquibus L existere: atque idcirco ambiguam

uæne ſectionem medico in ſuperiorum illarum coſtarum inflammationibus occurrere, neceſſariũ eſt. Proinde prioris ſectę principijs, apud te minimè probandis innixus, ſub nectam. IN OMNIBVS LATERVM THORACIS, AVT VERTEBRARVM METAPHRENI INFLAMMATIONIBVS SI SANGVINIS MISSIONEM AFFECTVS PRAESCRIBAT, SECANDAM ESSE AXILLAREM DEXTRAM: id quod probandum mihi aſſumpſeram. Ad hanc meam à nemine prius excogitatam de vena in pleuritide ſecanda ſententiam, adniterer Hippocratis oraculum in ſecundo de Victus ratione morborum acutorũ pertrahere, niſi manifeſtiſſima Galeni autoritas reclamaret, de qua nõ minus ferè ambigere vereor, acſi in noſtra ſanctiſſima religiõe, animarũ immortalitatem tacitus in dubium vocarem.
„ Scripſit quidem in eo lib. Hippocrates. Quum
„ ergo ad iugulum dolor extẽditur, aut grauitas
„ vel brachium, vel mammillam, aut partes quæ
„ ſupra tranſuerſum ſeptum ſunt infeſtat, interna
„ cubiti vena ſecanda eſt. Hunc Aphoriſmũ genuinum eſſe Hippocratis, cum Galeno affirmarem. at eum qui in iiij. lib. de Ratione victus in morbis acutis legit̃, vbi è directo lateris affecti venam ſecandam autor eius libri ꝓponit, Hip-

pocratis non eſſe, quēadmodum nec totum eū librum aſſererem: deinde eam ſententiam (vt plurimas eius libri alias) Hippocrate indignā cenſendam ducerem: quòd Hippocrates dextrā axillarem ſecandam in ſecundo libro pręcepe-rit. Quid obſtiterit obſecro, quo minus fide te-nendum ſit, Hippocratem breuitatis ſtudioſiſ-ſimum ita locutum, vti & apud Gręcorum & Arabum pleroſque, & in omnibus nobis ho-die receptiſſimum eſt? Nam Galenus alioquin perpetuò ſe ipſum explicans, Paulus, Aetius, Alexander, Oribaſius, Rhazes, Auicenna, & cætera Arabum cohors venam axillarem, communem, humerariam ſecandam ſubinde hortantur, non adijcientes dextram, quum eam tamen aperiri certiſſimò velint. At quum ex ſiniſtra aliquam ſecandam præſcribunt, nunquam non ſiniſtri cubiti, aut pedis ſiniſtri adijciunt. Præterea in legitimis Hippocratis libris nunquam dextram additam inuenimus, niſi ad certiſſimam ſiniſtræ diſtinctionem, quum tamen ipſum dextram indicaſſe in com-perto habeamus. Adde & noſtros hodie me-dicos, aduenarum inciſores imperitiſſimos af-fectuum ac morborum homines ſcribere, Ape-riatur baſilica, mediana vel cephalica, ad qua-tuor aut quinqꝫ vaſcula: vel (vt alij) ad nouem aut decē vncias, quum tamen dextram, nō qui-

dem ſiniſtram, diuidere in animo conceperint: Adijcerem ſanè plura, quę hanc meam ſententiam ſtabilirent: ſimiliter & locum libri de Morbis, vbi autor de pulmonum inflammatione & laterali dolore abſque ſputo pertractans iubet, ſecandam eſſe venam in manu iecorariam, vel lienicam in ea parte quæcunque ea ſit καθ ὀποτερίην ἂν ειη τὸ νόσημα, id eſt, in qua morbus fiat, explicatius euoluerem, niſi apud te Galeni ſtudioſiſſimum temeritatis atque adeò impietatis arguerer. idque tum imprimis, quando denuo de hæmorrhoidum venarum ortu, ab ipſo propemodum diſſentiendum mihi eſſet. Ad finem primę tabulę de venis, dum venæ portę ramos recenſuiſſem, obiter aſſcripſi. Hec numeroſe (de maiori portæ propagine loquens) inter meſarei membranas diſtributa, ad inteſtina excurrit, à qua etiam non minima pars ad rectum inteſtinum pertinet: Verum ab hac ne, an à caua, venę quas hæmorrhoides appellamus diffundantur, non auſim certo affirmare. Nam per portę ramos ad ſedem pertinentes, melancholicum ſuccum expurgari, non abſurdum forte animaduertenti apparebit. Anno enim ſuperiori diligentius hæmorrhoides venas inquirens, vt amico aſtanti, eoque morbo moleſtè aliquando vexato, morem gererem, primum in tres in-

cidi arterias, quas à magna arteria, qua ossi sacro incumbit ortas, manifestò reperimus. Has pro hęmorrhoidibus aliàs ostensas, studiosi astantes affirmarunt. Videbantur enim venæ, quod magna sanguinis spirituosi copia in eis confluxisset. Nosti namque, ex arterię magnæ super os sacrum seu latum innixu, & frequentiori inter secandum ipsius compressione, viciniores ramos tanquam venas distendi, illisque concolores reddi. Verum eum qui antea illas hęmorrhoidum loco commonstrare sępius cõsueuit, facile hallucinari ostendimus. Nam pręterquam quòd essent arteriæ, in ossis sacri foramina, non autem in recti intestini finem, terminabantur. Quamobrem ad venæ cauę ramos accedens, eas diligenter inuestigaui, quos Parisiis ac Louanij adhuc in administratione rudior, hæmorrhoides producere, seu deriuare, credideram. At vero posteaquam rem exactius aggressus sum, eos ramos in minores ac in capillares venas distrubutos reperi, quę in sedis cutem & musculum σφιγκτῆρα vocatum, tãdem inferebantur. Proinde quum eos ramos venas hęmorrhoidas esse diffiderem, quodque in hirundinibus applicandis in homine nequaquam melancholico grandiores venas aliquãdo conspexissem, cœpi mecum cogitare, num à portę ramis venę hæmorrhoides ꝓpa-

garentur: atque mox portę ramũ qui cum recto intestino adhuc in corpore relictus erat, aggressus sum, atque dilucidè ad extremũ vsque sedis eum pertinere animaduerti, non recta linea quidem, vt in reliquis intestinorum anfractibus, sed ad anũ intestini recti finem amplexantem. Quare ea Anatome à portæ ramis hęmorrhoides venas esse, mihi facile persuasit, donec per occasionem in corpus incidissem, quod hæmorrhoidum vitio ante mortem laborasse coniјcerem. Nostrum enim quod tum prę manibus habebam, nondũ annum vndeuigesimum attigerat, & optimi habitus, partibusq; integerrimis esse videbatur. Deinde mecũ perpendens, num ratio Anatomes speculationẽ corroborare posset, ratiocinabar, vtrum ne melancholicus succus facilius & breuiori cõpendio per portam, an per cauam, expurgaretur. Nam si per cauam vacuaretur, per portam in iecoris sinum regurgitare ipsum necesse esset, dein per angustissima orificia venæ portæ in minimos cauæ ramulos (dummodo ad iecoris gibbum repere posset) ascendere. Insuper ex cauæ principio iecorisq; gibbo, longo tramite ad os sacrum cõfluere deberet, hinc in alias venulas paulo minores et minores, donec per sedẽ excerneretur. pręterea hęmorrhoidibus affectos, semper ferè nigro arquato ve-

xari,rationi consonũ esset. Porrò si à portę ramis deferri ipsum crediderimus, facillima atque cõpendiosa admodũ erit via. Nam quem admodum in ventriculi fundum potius mea sentẽtia,quàm ad ipsius os superius, succus melancholicus à liene mittitur,ita quoque in portę ramũ ad intestina pertinentẽ, lien ipsum expurgaret,ex quo rectissimè ad sedẽ deorsum is succus ꝓflueret. Aut si lien imbecillior ipsum attrahere nequiret,tunc sua naturali grauitate melancholicũ succũ ad sedẽ posse rectà promanare certissimò cõstabit, in sectionibus corporum diligenter versato. Adde hos quibus eiusmodi venarũ fluxus nõ oppotunè supprimitur,in aquã subtercutẽ, ascitem scilicet, aut tympanitẽ sæpissime decidere:non alia fortassis ratione,quàm quod succus ille frigidus,à liene non attractus, & sua multitudine portã replens, iecur refrigerat, atque ipse humor in aquã aut flatus dissoluitur,vnde aquã subtercutem induci cõstat.Præterea si in hominibus succulentis, nec hęmorrhoidum vitio obnoxiis, aliquando aut ob sanguinis sputum, aut aliam sanguinis ex superioribus eruptionem hirudines sedi,sanguinis reuellendi gratia,applicamus,sanguinem tenuem aqueum, qualis in porta inueniri consueuit, excerni obseruauimus: Sed hæmorrhoidum vitio affectis,

craſſus, niger, & omninò melancholicus proma nat. Et licet hęc pręter alia ſatis efficacia mihi vi debant̃, tamen & in tabulis, & in quatuor libris inſtitutionum Anatomicarũ Ioannis Guinte- rij, quos multis locis correctiores reddidimus, q̃ potui timidiſſimè ea adnotaui: ſiquidem rem ta citè à me indicatã potius malui, q̃ ita eſſe ſcioli cuiuſdam inſtar decantatam. id imprimis ſtu- dens, vt in poſterum, num res ita ſe habeat, ani- maduertere ſtudioſi valeant. Pari ratione quo- que omnibus medicis veriſſimum theorema, num arterię & cor eodem pulſus modo pul- ſant, in dubium tacitè inibi vocaui. nam mihi nonnullis argumentis cordis motus ac arteria- rum, planè pugnans contrariuſque apparebat. Quum cor enim contrahitur, ſpiritum in arte- riam magnam, & ſanguinem in venam arterio ſam diffundit, eſtq; is motus cordis συστολη. Quñ verò cordis ſinus dilatantur, aerẽ ex arteria ve- nali, & ſanguinem ex caua cor aſſumit, qui mo- tus propriè eſt cordis διαστολη. Arterijs autem dila tatis, vitalem ſpiritum corpori illas communica re credimus, ipſaſque eo ſpiritu à corde repleri. quũ verò arctantur, fuliginoſa excrementa ex- pelli in confeſſo habemus. Quare cõtrarios & pugnantes motus cordis arteriarũq; eſſe, relin- quitur. In viuis autem diſſectis animantibus, ali quo pacto id experiri licebit, ſi arterię oſſi ſacro

incumbenti manus vnà adhibeatur, & vniuersum cor illæsum altera manu comprehendatur. Vt interim prætercam capitis motũ, varios musculos & neruos etiam, quos modesta mea admonitione studiosi assequi valebunt. Verum hac de re aliàs prolixius, superis fauentibus, coràm confabulabimur. Interim tuarum erit partiũ, vir literatissime, hæc æqui boniq; consulere, eademq; hilaritate ac animi prõptitudine, qua alia tui Vvesalij aliquando accepisti, suscipere, qualiterq; accurato tuo iudicio probantur, ꝓximè ad me transcribere. Ea tamen legas velim, vt tumultuaria ac confusanea verius quàm accurata cura conscripta: tibiq;, non omnibus autẽ, communicata esse arbitreris. Proinde sicubi oratio inęqualiter fluat, suisq; numeris parum constare videat̃, pro singulari humanitate tua ignosces. Quòd de reliqua studiorum meorum ratione transcribam, nihil propemodum in præsentiarum superest. Duas neruorum tabulas iã quoq; absoluimus, priori cerebri septem paria delineata sunt, in altera vniuersæ dorsalis medullæ ramuli exprimunt̃. Adhuc eas seruandas duxi, donec musculorũ tabulas & interiorũ partiũ omniũ aggrediamur. nos p̃sentis anni cõsectionibus rationẽ q̃ id cõmodissimè fieri posset, tẽtauimus: sed in tãta spectatorũ turba, eã rẽ absoluere, fuit omnino impossibile. Si hic ea foret

corporum opportunitas, quę alibi aliquando obtingere potuisset, non diu tã vtili labore studiosi carerent: quum ad eam prouinciam subeũdã tot celebres viri in dies me exhortentur atq; inuitent. Non facile tibi persuaseris, q̃ præter cęteros, mea causa, Marcus Antonius Genua, philosophiæ primarius professor, atq; nostræ Academię vniuersæq; Italię ob absolutissimam illã philosophię, medicinę & literarum cognitionẽ pręcipuum decus ac ornamentum, me ad hanc prouinciam subeundam incitet, & inflammatũ reddat. Cui sanè nisi morem gessero, ab impietatis nota atq; crimine vix me vindicare queam: quod is singulari quodam animi cãdore, vt est vir humanissimus, exterorumq; amantissimus, me amplectitur, atq; alterum veluti mihi parentem se exhibet. Quamobrem si corporum dabitur opportunitas, & suam operam Ioannes Stephanus insignis nostrę ætatis pictor non denegauerit, nequaquam ego eum laborem subterfugero. Interim vale & me vt facis maximè ama. Patauij, ex ędibus filiorũ illustrissimi Comitis Gabrielis ab Ortemburg. Calend. Ianuarij. Anno salutis. M. D. XXXIX.

Tuæ pręstantiæ deditissimus
Andreas Vvesalius.

FINIS.

